

lici eventū, qui Dei voluntate et providentiā ex vestro scelere mihi et vobis accidit, gaudendum est, Deique voluntati hae omnia tam permittenti, quā ordinari adscribenda et submitienda sunt. Hunc esse sensum patet ex seq. et ex c. 45, v. 5 et 8. Ita interpretes et doctores, ac præsertim S. Chrysostomus homil. 64, et Ambrosius lib. de Joseph c. 12, et ex iis Ludovic. Molina p. 1, quest. 19, art. 6, disp. 2. Sic Apostolus ad Romanos 11, ut gentes moveat ad compassionem, quā non indignentur, sed condoleant incredulitati Judaeorum, dicit eorum incredulitatem et delictum esse salutem gentium, quia scilicet praedicatione evangelica, ipsique praerexerunt ad gentes, easque ad fidem, salutem et gratiam adduxerunt. Additque Apostolus, Deum concessisse, id est, concludi permississe, omnia sub peccato, ut omnium misereretur, q. d. Ergo et vos, o gentes, Deum imitami, et ut Deus vestri misertus est, ita et vos Judaeorum miseremini.

Ita sancti in voluntatem Dei omnia resignantes excusarunt vitia et afflictiones sibi ab aliis illatas, easque animo quieto et sereno exceperunt, ut David, qui maleditionem Semei retulit ad voluntatem Dei, volentis punire sua peccata, ideoque noluit eum puniri. Et Machabei, qui suos cruciatu acceptos tulerunt Deo, et divinae castigationi. Sapronius memorat abbatem, cui discipulus per imprudenciam in mensā olera peramara apposuit. Dissimulavit rem abbas; gustans ex eisdem postea discipulus, errorem agnovit, et veniam precatus est. Cui abbas: *Voluntas, inquit, Dei fuit, ut talia mihi apponeret. Si enim Deus aliud voluisset, effecisset ut alia proponeret.* Est enim hic actus magnae humilitatis, resignationis et conformitatis cum voluntate divinā, in quā consistit perfectio humana et angelica. Vidit hoc per umbram gentilis Pythagoras, qui inter aurea sua ethices carmina et praecipua, haec inter prima ponit:

*Mortales quaecumque diis mittentibus angunt,
Ut tua sors tulerit, patiens ne ferre recuses.
Non spernenda medela tamen.*

VERS. 20. — *VOS COGITASTIS DE ME MALUM. Cogitastis tantum, quia vestras, utpote hominum contra me machinationes, Deo me protegente, non potuistis perficere.*

VERS. 21. — *BLANDE ET LENITER:* Hebraice est, *locutus est ad cor eorum.* Videant hic fideles, videant et imitentur principes clementiam et mansuetudinem Josephi, imò Christi, qui ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Clemens erat Alexander Severus imper. Obiciebant hoc illi mater et uxor, dicebantque: *Mollitorem tibi, magisque contempnitatem imperii dignitatem fecisti;* ille: *Sed securiorum, respondit, et diuturniorum.* Constantius imperator raptore cuiusdam virginis in exilium relegarat; parentes indignabantur, eos non esse morte mulctatos. Tum ille: *Hactenus, inquit, incusent jura clementia; sed imperatorem, mississimi animi legibus, ceteris praestare decet.* Sic Carolus Magnus filiam quod cum Eginharto secretario fornicata esset, utrumque mortis

reum, non morte punivit, sed conjugio copulavit. Rem fusè narrat Lipsius lib. 2 Mon. Polit. c. 12, n. 12. Rudolphus imper. Austriacus, ex severiore mitior factus: *Severum, inquit, et immitent fuisse me aliquando peritui; lenem et placibilem, nunquam.* A Ludovico XII quidam postulavit bona civis cuiusdam Aurelianensis, qui acerrimus Ludovici fuerat hostis, eo tempore, quo Ludovicus dux tantum erat Aurelianensis, et a Carolo VIII rege Franciae dissidebat. Cui Ludovicus animo planè regio: *Tu, inquit, aliud à me pete, et meritis tuis gratia erit. De isto omittit: non rex Galliae non ulciscitur injurias ducis Aurelianensis.* Q. d.: Rex factus nolo ulcisci injurias mihi in ducatu illatas. Alphonsus Aragonum rex, teste Panormit. rogatus cur erga omnes etiam malos, ita mitis esset, respondit: *Quia bonos justitia conciliat, malos clementia.* Cūque suis de nimia ejus lenitate quererentur: *Quid ergo, inquit, valdis ursos et leones regare? hominum clementia, belluarum feritas propria est. Malo multos meā clementiā errare, quā paucos meā severitate perdere.* Quidam ci obiecit: *Cave ne tua haec clementia in perniciem cedat, cui ille: Imò verò, inquit, multa mihi perferenda sunt, ne in invidiam cadam.* Idem rogatus, quid maxime adversarios flecteret, respondit: *Placabilitatis et mansuetudinis nomen.* Idem contra Venetos instructa acie procedens, cū illi occurrerent, humiliterque pacem peterent, atque sui quidvis ab eis extorqueri cuperent. Alphonsus respondit: *Nullum aliud date pacis pretium existimo, quā hostibus gentibus ad me advolutis, pacem dare.* Rectè Ovidius:

*Conveniens hominum est hominem servare voluptas;
Et melior nullā quaeritur arte favor.*

Videmus id nunc in Belgio.

VERS. 22. — *VIXITQUE CENTUM DECEM ANNIS.* Haec est periodus vite Josephi: Joseph à fratribus venditus est anno aetatis suae 16, Jacobi 107, mundi 2216. Servitutem et carcerem toleravit 15 annis. E carcere eductus, factus est princeps Aegypti anno aetatis suae 50, patris 121, mundi 2250. Patrem Jacobum in Aegyptum vocavit, eumque ibi exceptit anno aetatis suae 59, patris 150, mundi 2259, qui fuit ab exaltatione et principatu suo nonus, post obitum Isaac decimus. Obiit Joseph anno aetatis suae 110, ab exaltatione sua 80, ab obitu patris 54, mundi 2510, ante exitum Moysi et Hebraeorum ex Aegypto 144.

Moral. S. Chrysost. 67 et ultimā: *Vidisti, ait, quomodo majora sint praemia quā labores, retributionesque multipliciores. Tredecim annis servitutem et carcerem sustinuit, octoginta annis regnum administravit.*

FILII QUOQUE MACHIR. Filii, id est, filius; unum enim tantum genuit Machir. Est enallage numeri. Ita S. August.

NATI SUNT IN GENIBUS, q. d.: Joseph filium Machir, mox ut natus est sibi in filium adoptavit, ideoque in genibus suis eum statuit et excepit, ut fecit Rachel c. 50, v. 5.

VERS. 24. — *ASPORTATE OSSA MEA VOBISCUUM,* ut cum patre, avo et abavo sepeliar in Chanaan, terrā nobis à Deo promissā. Vide dicta cap. 47, vers. 29 et 30.

Hoc est quod ait Paulus Hebr. 11, vers. 21: *Fide Joseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit.* Hoc autem, ait S. Chrys., non temerè faciebat. Duo enim agebat, unum, ne Aegyptii memores beneficiorum ejus, cum pro more suo facile ex hominibus deos appellent, corpus justī haberent in impietatis occasione. Alterum, ut securi et certi omnino sint se redituros. Et videre licebat rem novam et admirabilem, eam quī omnem Israel in Aegypto pascebat, illam et ducem reditū, et in terrā Israel inducentem. Promissis Joseph factis steterunt Israelitae, cū ex eunte ex Aegypto secum extulerunt ossa Josephi, eaque in tulerunt in Chanaan, sepelieruntque in Sichem, ut habetur Josue 24, 52.

Anagogicè, Rabanus: *Joseph, inquit, incolatum terrae Aegypti detestans, terram reppromissionis desiderabat, ut quādiū sumus in hae peregrinatione, veram patriam, terram riventium, iustis promissam desideremus, et in eam transferri post mortem velimus;* ideoque cum Psalmo crebrò suspiramus: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.*

Similia Josephi et Jacobi, puta pia et coelestia, fuerunt aliorum Patriarcharum et sanctorum orientium monita et vota, ut Moysi, Deuter. 51 et 52. Josue, c. 24, Davidis, 2 Reg. 22 et 23. Elisaei, 4 Reg. 15. Mathathie, 4 Machab. 2. Ita S. Basilius moriens suos ad se confluentes doctrinā sacra instruxit, dicensque: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, animam letus exhalavi.* Testis est Nazian. orat. 20. S. Ambrosius moriens ait: *Non sic vixi, ut pudeat me inter vos vivere. Sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* S. Augustinus moriens: *Non est mirum, inquit, quod cadunt ligna et lapides, et mortales moriuntur.* S. Chrysost. exul in magnā afflictione paulo ante mortem scribens ad Innoc. pontif.: *Nos, inquit, ter-*

tium jam annum in exilio versamur, expositi pestilentiae, fami, bello, continuis incursionibus, solitudinē inenarrabili, quotidianae morti, et Iseurici gladiis. Hisee connectus tandem, et moriens dixit: *Gloria tibi, Domine, de rebus omnibus, uti refert Nicephor. lib. 15, c. 57: S. Martinus moriens oculis ac manibus in caelum semper intensus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat; et cū à presbyteris rogaretur ut corpusculum lateris mutatione relevaret: Sinite, inquit, me caelum polius respicere quā terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Haec locutus diabolum vidit assistere; cui ille: *Quid hic adstas, cruenta bestia? nihil in me fuisse reperies. Abraham me simul recipiet, inquit Salpit. S. Fulgentius acerrimo morbo correptus: Domine, inquit, da mihi modò patientiam, et potestatem indulgentiam, petensque à suis erratorum veniam, ac quod reliquum erat pecunie pauperibus distribuens, emigravit. S. Gregorius sui mortem scribens ad Rusticanam patriam. Me, inquit, amaritudo animi, et assidua exacerbatio, atque podagra molestia afficit, ut corpus meum tanquam in sepulcro siccatum sit; unde peto ut pro me oreris, quatenus de hoc carcere citius educar. S. Hieronimus teste S. Hieronymo, moriens dicebat: *Egredere, quid times, anima mea? quid dubitas? septuaginta annis servisti Christo, et mortem timeas? S. Bernardus moriens: Haec tria, ait, in vobis servavi, quae vobis commendo: primò, minus sensui meo quā alterius credidi. Secundo, lesus de ledente vindictam non expetivi. Tertio, nemini scandalum facere volui; et si quando incidit, sedari ut potui.* Gerardus S. Bernardi frater moriens ait: *Laudate Dominum de caelis; laudate eum in excelsis.* Fernandus Castellae rex moriens: *Domine, inquit, regnum quod à te accepi, tibi restituo; colloca me, quæso, in aeternā luce.* Carolus Siciliae rex moriens: *O vanas, inquit, hominum cogitationes! quid mihi jam regnum prodest? quā praeferat jam pauperem fuisse, non regem!**

SYNOPSIS

HISTORIAE ET CHRONOLOGIAE TOTIUS GENESEOS.

Primo anno mundi, die sexto, qui fuit dies Veneris, creavit Deus Adam et Evam. Gen. 1, v. 26.

Anno 150 Adae et mundi natus est Seth. Gen. 5, v. 5.

Anno suo et mundi 950 mortuus est Adam. Gen. 5, v. 5.

Henoeh raptus est in paradysum anno mundi 987, aetatis verò suae 565. Gen. 5, v. 25.

Natus est Mathusalem anno mundi 687, vixitque annos 969, ac consequenter mortuus est anno mundi 1656, qui fuit annus diluvii. Gen. 5, v. 27.

Noe natus est anno mundi 1056, puta 126 annis post mortem Adae; cūque esset 500 annorum, genuit Sem, Cham, et Japheth. Gen. 5, v. 50.

Anno sexcentesimo Noe, qui fuit annus mundi 1656, factum est diluvium, quod duravit annum integrum. Gen. 7, v. 11, etc., v. 14.

Anno 170 à diluvio, Nemrod cum suis aedificavit turrim Babel, ibique Deus confundit linguas, et dispersit homines in varias terras et gentes. Gen. 11, v. 9 ut ibi ostendi.

Anno 292 à diluvio nascitur Abraham, qui fuit annus mundi 1949. *Gen. 11, v. 26.*

Anno 559 à diluvio, cum Abraham ageret annum ætatis 58, moritur Noë. *Gen. 9, v. 28.*

Anno ætatis suæ 75, Abraham à Deo ex Chaldea evocatur in Chanaan. *Gen. 12, v. 41.*

Inter vocationem Abraham, et nativitatem Ismael, quasi medio tempore, puta sub anno Abrahamæ 80, videtur contigisse victoria Abrahamæ contra Chodorlahomor, et occur-us, benedictio ac sacrificium Melchisedech, de quo *Gen. 14.*

Inde post quinque annos, puta post decem annos à vocatione suâ Abraham ducit Agar ancillam suam, ex qua sequenti anno, qui fuit octogesimus sextus vite Abrahamæ gignit Ismaelem, *Gen. 16, v. 16.*

Inde à nato Ismael anno decimo tertio, cum Abraham esset 99 annorum, à Deo accipit Sacramentum circumcisionis, seque et Ismaelem circumcidit, *Gen. 17, v. 24.*

Hoc eodem anno 99 Abrahamæ, qui fuit mundi 2048, promittitur ei, et reipsâ concipitur Isaac. *Gen. 18, v. 10.*

Hoc eodem anno 99 Abrahamæ, imò et eodem die quo angeli Abrahamæ promiserunt filium Isaac, contigit incendium Sodomeæ, conversio uxoris Lot in statuam salis, Lot elictus et incestus cum filiabus. *Gen. 18, v. 22, et Gen. 19, v. 1 et seq.*

Anno sequenti, qui fuit centesimus Abrahamæ, mundi verò 2049, nascitur Isaac. *Gen. 21, v. 4.*

Abraham immolat Isaac agentem annum vigesimum quintum, anno ætatis suæ 125, si credimus Josepho. *Gen. 22.*

Sara uxor Abrahamæ moritur anno ætatis 127, qui fuit Abrahamæ 157. *Gen. 25, v. 1.*

Isaac ducit Rebecca anno ætatis suæ 40, qui fuit Abrahamæ 140. *Gen. 25, v. 20.*

Abraham moritur anno ætatis 175, qui fuit annus mundi 2124. *Gen. 25, v. 7.*

Ismael moritur anno 48 post mortem Abrahamæ, cum esset 157 annorum. *Gen. 25, v. 17.*

Isaac gignit Jacob et Esaù, anno ætatis 60, qui fuit à diluvio annus 452, mundi 2109. *Gen. 25, v. 26.*

Anno 502 à diluvio, cum Jacob ageret annum ætatis quinquagesimum, moritur Sem filius Noë; vidit ergo Jacob suum avum undecimum Sem; à Sem enim undecimâ generatione descendit Jacob; vixit enim Sem annis 602. *Gen. 11, v. 11.*

Jacob fratri Esaù præcipit benedictionem patris, ideoque fugit in Haran, anno ætatis 77, ibique servit

Laban per viginti annos, quibus expletis redit in Chanaan anno ætatis 97. *Gen. 31, v. 41.*

Jacob cum esset 91 annorum, gignit Joseph, puta anno mundi 2200. *Gen. 30, v. 24 et 25, juncto cum Gen. 31, v. 41.*

Moritur Isaac anno ætatis 180, qui fuit Jacobi 120. *Gen. 31, v. 41.*

Joseph venditur in Ægyptum anno ætatis decimo sexto, cum jam paulò ante mortua esset ejus mater Rachel, et natus Benjamin. Paulò ante mortem Rachel contigit stuprum Dinæ, et exitium Sichimorum. *Gen. 35, v. 28, et Gen. 37, v. 2.*

Joseph servit in Ægypto tredecim annos, puta usque ad annum ætatis trigessimum, ex quibus tres ultimos annos egit in carcere. *Gen. 40, v. 4, juncto cum Gen. 41, v. 1.*

Joseph anno ætatis trigesimo educitur è carcere, fitque princeps Ægypti. *Gen. 41, v. 46.*

Post annum 58 Joseph ejusque principatum mox secuti sunt septem anni fertilitatis, et duo sterilitatis, cujus anno secundo, qui fuit novus à principatu Josephi, Jacob descendit in Ægyptum agens annum 150, Josepho tunc agente annum ætatis 59. *Gen. 45, v. 6, juncto cum Gen. 47, v. 9.*

Jacob septemdecim annos vixit in Ægypto, moriturque anno ætatis 147, mundi 2256. *Gen. 47, v. 28.*

Joseph ab anno ætatis trigesimo dominatur in Ægypto usque ad mortem, per 80 annos, moriturque anno ætatis 110. Atque si horum omnium breve compendium cupias, accipe : diluvium contigit anno mundi 1656; à diluvio anno 292, nascitur Abraham; anno Abrahamæ centesimo nascitur Isaac; anno Isaaci sexagesimo nascitur Jacob; anno Jacobi 91 nascitur Joseph, qui vixit 110 annis. Mortuus est ergo Joseph anno à diluvio 655, à creatione mundi 2510, quo anno finitur historia et chronologia Geneseos, *Gen. 50, v. 25.*

Ubi jam Adam? ubi Cain? ubi Seth? ubi Mathusalem? ubi Noë? ubi Sem? ubi Heber? ubi Abraham? ubi Jacob? ubi Joseph? vixerunt; fuimus Troes. Si transit vita, sic transit gloria mundi. O ros! ô vanitas! quid ambis? quid longa speras? breve est, quidquid hic vides. In ictu oculi clauduntur omnia. *Omnis consummationis vidit finem: latum mandatum tuum nimis. Cogitavit dies antiquos, et annos æternos in mente habui (1).*

ÆTERNITATEM COGITAT,
ÆTERNANTES PŒNAS,
ÆTERNANTIA GAUDIAT.

(1) Vide part. 5 Introduct. ad S. Script. Geneseos chronologiam.

DOXOLOGIA DEI CREATORIS EX FACTIS IN GENESI.

Confitebor tibi, Domine, in toto cordo meo; consideravi enim opera sapientiæ et potentie tuæ, et extipavi.

Non est similis tui, in diis, Domine : et non est secundum opera tua.

In principio cœlum, terram, et abyssum ex nihilo

creasti; non tibi, nec angelis, qui loco corporeo non egent, sed filiis hominum.

O rex seculorum, habitans æternitatem, ante mundum per æterna secula, omnibus bonis in tempore fruaris, juvenitissimèque vivebas cum Unigenito tuo, et Sancto Spiritu, beatus et gloriosus.

Initio temporis te tuaque bona voluisti communicare angelo et homini; ideoque creasti omnem hanc mundi machinam.

Tunc creasti angelos spiritus; et ministros tuos ignem urentem.

Tunc te laudârunt astra matutina; et jubilârunt omnes filii Dei.

Omnia enim in numero, pondere et mensurâ disposuisti, singula singulis sapienter et aptè associasti: divisisti lucem à tenebris, et angelos à demonibus.

Quis enarrabit cœlum rationem; et concentum cœli dormire quæ faciet?

Quis posuit fundamenta terræ? quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius soliditate sunt? quasi pila pendet in aere; quæ centrum et basis est mundi.

Tu es, Domine, qui tribus digitis appendis et firmas pensilem globum terræ; et super maria fundas et fulcis eum.

Tui sunt cœli, tua est terra, tua sunt quæ cœli et terræ ambitu continentur; dominus universorum tu es.

Cœli et terra clamant, ut colamus et amemus te; inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Cœli et terra clamant: Ipse fecit nos, et non ipsi nos, creatorem universorum agnoscite, et adorare, omnes filii Dei.

Terram quasi palestram dedit filiis Adæ; cœlum, quasi regnum gloriæ adornavit timentibus se.

O Israel, quàm magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!

Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid servitis creaturæ, non creatori? ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium?

Ut quid creaturæ Dei vobis sunt in tentationem, et in musculam pedibus insipientium?

Benedic, anima mea, Domino; et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Qui de tenebris fecit lucem splendescere; qui ortum præcepit diluculo et ostendit auroræ locum suum.

Qui separavit aquas à terrâ, dixit: Germinet terra herbas et arbores; ut habitent et vivan' in eâ homines et pecora campi.

Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulvâ procedens?

Cùm poneret nubem vestimentum ejus; et caligine illud, quasi pannis infantie, involveret?

Circumdedit illud terminis suis, et posuit vectem et ostia, et dixit: Usque hinc venies, et non procedes amplius, et hinc confringes tumentes fluctus tuos.

Qui ingressus est profunda maris; et in novissimis abyssi deambulavit.

Fecit ut in eo luderent cete grandia; pisces, et reptilia, quorum non est numerus.

Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!

Posuisti in vertice mundi duos oculos, solem et lunam, ut vieissim illuminent diem et noctem.

Dum totum orbem obeunt, ab Oriente ad Occidentem; indeque per antipodos gyrant ad Orientem.

In omnem terram exit fulgur et sonus eorum; et in fines orbis terra verba eorum.

In sole posuisti tabernaculum tuum, et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; à summo cœlo egressio ejus.

Et occursum ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat à calore ejus.

Confiteantur cœli mirabilia tua, Domine, celebrent magnalia tua in Ecclesiæ sanctorum.

Deus noster est, qui emittit lumen, et vadit; et vocat illud, et obedit ei in tremore.

Stella dederunt lumen in custodiis suis, et lætatae sunt, et vocatae dixerunt: Adsumus, et luxerunt ei cum juvenitate, qui fecit illas.

Decora valde in acie, et fulgore suo incedunt astra, quàm pulcher ergo et decorus est creator eorum; quàm speciosus est præ filiis et filiabus hominum!

Invisibilia tua, Domine, per visibilia tua opera clarè conspiciuntur; sempiterna quoque tua virtus, et divinitas; ut qui ea non vident, sint inexcusabiles.

Deus noster est, qui firmavit aethera sursum; et infernè libravit fontes aquarum.

Aperuit thesauros suos sursum; et evolaverunt nebulae, et nives sicut aves.

Vox tonitrui ejus verberavit terram, ut concutantur cardines orbis.

Gelu sicut salem effundit; è nubibus confringit lapides grandinis.

Mittit fulgura, et subito ibunt ad extrema terræ; et revertentia dicent ei: Adsumus.

Ipse est pluvie pater; ipse generat stillas roris.

Multi abscondita sunt majora his; pauca enim vidimus operum ejus.

Benedicite, omnia opera Domini, Domino; laudate et superexaltate eum in secula.

Qui sedet in throno regni sui super Cherubim; qui ambulat super pennas ventorum.

Benedicite, Angeli Domini, Domino; benedicite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino.

Benedicite, imber et ros, Domino; benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicite, maria et flumina, Domino; benedicite, cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino.

Benedicite, omnes volucres cœli, Domino; benedicite, omnes bestiae et pecora, Domino.

Et vos, ô filii hominum, benedicite Domino, vos enim creavit ad imaginem et similitudinem suam.

Quid est homo, quòd memor es ejus, Domine? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minus ab angelis; gloriâ et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus ejus; oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Benedicite Adam, Noe, Abraham, Domino; omnes Patriarchae, omnes sancti, benedicite Domino.

Hec placuit Deo; et translatus est in paradysum, ut det gentibus poenitentiam.

Noe inventus est justus et perfectus; hinc in tempore iracundiae, factus est reconciliatio.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine: qui terribilis es super peccantes filios Aed.

Diluvio perdidisti peccatores: Noe justus per arcam enavit, et factus est novi mundi parens.

Testamentum saeculi posita sunt apud illum, ne delerit possit diluvio omnis caro.

Vide iridem, et benedic eum qui fecit illam; valde enim speciosa est in splendore suo.

Nemrod et Meropes Babel superham turrim moliti sunt; in caelum voluerunt conscendere.

Irrisit eos Deus, et divisit linguas eorum; ut subsannantes invicem, dispergerentur in omnes regiones terrae.

Abraham ex Ur vocatus à Deo obedit, exiens in locum quem accepturus erat, et nesciebat quò iret.

In terrâ Chanaan moratus est, tanquam in alienâ; in casulis habitando cum Isaac et Jacob.

Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor est Deus.

Hinc factus est pater multarum gentium; et non est inventus similis illi in gloria.

Qui conservavit legem Excelsi; et fuit in testamento cum illo.

Perussit quatuor reges; decimas dedit Melchisedech.

Hic obtulit panem et vinum, in typum Christi, qui est sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

In carne Abraham stare fecit Deus pactum circumcissionis; et in tentatione inventus est fidelis.

Obtulit Isaac unigenitum suum, arbitrans quia et à mortuis suscitare potens est Deus.

Judica, Domine, nocentes et scelestos; perde execrabiles Sodomitas.

Pluit Deus ignem et sulphur in Pentapolim; consum-

CALMETI VITA.

CALMETUS (Augustinus) ordinis S. Benedicti presbyter, congregationis SS. Vitoni ac Hydulphi sodalis, in viculo Lotharingae gallicè dicto Mesnil-la-Horgne natus, anno Christi 1672, linguis orientalibus ediscendis peridoneus prematurè visus est. Junioribus sodalitatè primùm praepositus, ut philosophiam theologiamque et cathedrâ doceret, haud multò post Monasteriensem abbatiam petiit, ubi viceprioris munere dum fungeretur, academiam instituit octo decemve conflantem Religiosis, quibus omne pensum erat Biblia sacra studiosius evolvere penitusque rimari. Tunc enata inelyta Calmeti commentaria, ab eo selicet qui totius academiae investigationes consiliis direxit, stylo concinnavit, divitiis propriis auxit et congruo ordine dispersit est. Quae, inopportune sandentibus Mahillonio perecebrigue Duguetio, gallicè lingua primùm prodire; ne verò tanti operis utilitate fraudata maneret pars cleri catholici maxima, Joannes Dominicus Mansi, Calmeti coaetaneus, ordinis Clericorum regularium Matris Dei, posteaque Lucensis archiepiscopus, non solum haec commentaria, sed etiam ceteras ejusdem lucubrations litteris latinis tradendas suscepit, et, si quamdam fortè velentur negligentiam excipias, expressit feliciter.

psit impius usque ad pecus; solus Lot justus, fugiens servatus est.

Dilectus Deo et hominibus Isaac; factus obediens usque ad mortem.

Patri jugulum fortiter obtulit; hinc benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

Jacob justus fugit iram Esau; deduxit illum Dominus per vias rectas.

Ostendit illi regnum Dei in Bethel; dedit illi scientiam sanctorum.

In fraude Laban circumveniens affuit illi; et honestum divitemque fecit eum.

Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!

Certamen forte dedit illi, ut vinceret; ideò dedit et divisit illi hereditatem in tribus duodecim.

Ili sunt viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt; facti sunt exempla saeculorum omnium.

Cum semine eorum permanent bona; semen eorum et gloria eorum non derelinquuntur.

Joseph justus, à fratribus venditus est; sed assistit ei Deus, et à peccatoribus liberavit eum.

Descendit cum illo in foveam; et in vinculis non dereliquit eum.

Donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant.

Mendaces ostendit, qui macularunt eum; dedit illi claritatem aeternam.

Quia prae herà herum et Deum dilexit; benedictiones collum aeternorum factae sunt in capite Joseph Nazareni.

Jacob moriens singulis filiorum benedixit; praenuntiavit eis ventura in diebus novissimis.

Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in saeculum misericordia ejus.

Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.

Fecit eis magna qui potens est; et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies, dilatentibus eum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Calmetus modestiae non minùs quàm doctrinae ornamento insignis extitit, et licet labor improbus, ingenii nativa fecunditas, pietas solida morumque comitas eximia celsissimam eum honoribus dignum redderent; agrè patiebatur se à vulgo distingui. Quin etiam Benedicto XIII episcopatum in partibus non semel offerenti toties resisit, ne quid supra conventus humilitatem acceptasse crederetur. Verum Benedictina societas scriptoris qui de religione simul et de sodalibus tam benè meritus erat, labores remunerata, eum S. Leopoldi à Nanocio primùm et postea Senoni abbatem constituit.

Praeter commentaria in Scripturam sacram multa Calmetus opera vulgaverat; praecipua duntaxat juvat hic describere: 1^o Historia veteris novique Testamenti, 2 vel 4 vol. in-4^o; eadem, 5 vel 7 vol. in-12: eximium opus gallico sermone redactum, in quo mira scripturae renitit simplicitas; mendis scatet edito Parisina in-12 anni 1725. 2^o Dictionarium sacrum historico-chronologico-criticum, Parisiis 1750, 4 vol. in-8, cui praefixa tabula pictae ac bibliotheca sacra, et in quo, quae per omnia bibliorum commentaria sparsersat, methodo alphabetico in modum vocabularii digesta reperiuntur. Prodiit iterùm Tolosae 1785, 6 vol. in-8^o accurate Laurentio Rondet, cui plurima nec tenuis momenti additamenta debentur. Ex immensâ aucto voluminum quae per egit Calmetus collectione, nihil, consensu omnium, utilius, neque us veniens frequentior, quàm *Dissertationes* et commentariorum *Prolegomena*, quae seorsim typis multoties adornata sunt, 5 vol. in-8^o. In his enim auctor noster suam omnem antiquitatis sacrae linguarumque orientalium peritiam collegisse, et, ut ita dicam, condensasse videtur. Cùm verò cunctae quaestiones ibi ventilatae non aequè momentosae sint, eum praeterea nonnullae alibi et quandoque melius pertractatae dentur, praecipuas duntaxat elegimus, quae suo quaque loco venient, prout decurret librorum sacrorum series.

Calmetus obiit in abbatia Senonensi, anno 1757, aetatis octogesimo quinto. Ipse sibi epitaphium haecce texerat:

*Frater Augustinus Calmet,
Natione Gallus, religione catholico-romanus,
Professione monachus, nomine abbas,
Multum legit, scripsit, oravit:
Utium benè!*

IN PENTATEUCHUM, ATQUE IN GENESIM POTISSIMUM, Dissertatio.

Pentateuchi opus Moysi auctori deputandum esse, post tot luculentas in idem argumentum scriptas lucubrations, frustra prosis à nobis impresentiarum demonstraretur. Post diuturnam sanè ultra 5000 annorum possessionem, nemo in Moysen litigator admittitur, nisi juris sui non dubia tantum et ambigua, sed evidentiâ planè et perspicua documenta protulerit. Nec aliud quidem, quàm aperta veritatis vis contra vetustum adeò Moysis jus, cui Christi, Apostolorum et universae Ecclesiae consensus suffragatur, praevaleret.

Quae autem à recentioribus incredulis promuntur argumenta, multò illa à perspicuitate longissimè absunt. Quaedam, inquit illi, in Pentateucho occurrunt, quae Moyses scriptis mandare non potuit. Ultrò fatemur; iis enim, qui operis recensendi sibi curam assumpservunt, nonnulla addere, expungere quaedam visum est. Iisdem etiam auctoribus quaedam in compendium redacta videntur; sicut et quandoque narrationum et orationum series intermittitur; quod quidem de industria potius factum, quàm casu vel amanuensium lapsu contigisse apparet. Histori: Lamech

alia videtur nostrâ aetate, ac à Moysè scripta prodierit; prius enim narrasse sacer Historicus creditur ea, quorum occasione verba illa Lamechi ad uxores prolata sunt: *Dirigite Lamech uxoris suis, Adae et Sella: Audite vocem meam, uxores Lamech; auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnere meum, et adolescentulum in livore meum. Septuagium ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies.* Gen. 4, 25.

Ita post Moysen adjecta videntur illa (Gen. 12, 6): *Chananeus autem tunc erat in terrâ.* Quaedam etiam in Exodo sunt loca, ubi aliqua in textu hebraeo desiderari suspicamur. Ita Moyses (Exod. 14, 8) accephalâ oratione, uti quidem apparet, Pharaonem alloquitur; Samaritanus ibidem defectum Hebraei faciliè supplet. In eodem Samaritano non modice additiones in cap. 20, 17, 19, leguntur, frustra in Hebraeo requirenda; sicut et variae etiam in sequentibus libris, et in ipso Deuteronomio plures resulant. Ex hisce variantibus inter levia aliqua, quaedam etiam majoris momenti exhibentur; adeò autem illa cum totâ textus serie plerimque colligantur, ut vix alienâ manu in textum irrepsisse persuadeamur. Fragmentum libri Bellorum